

Dušková, Sáša

Praefatio

In: *Folia diplomatica. I.* Dušková, Sáša (editor). Vyd. 1. Brno: Universita J.E. Purkyně, 1971, pp. 7-8

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/120462>

Access Date: 23. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

P R A E F A T I O

Omnes lectores, quibus haec miscellanea in manus venerunt, ipse titulus **Folia diplomatica** certiores facturus est eorum materiam esse studia ad rem diplomaticam pertinentia. Pauci autem sunt, qui originem et traditionem huius tituli in officina scientiarum historicarum auxiliarium et studii archivalis in facultate philosophica Universitatis Purkynianae Brunensis noverint. Viginti fere anni transierunt, ex quo nonnulli rei archivalis discipuli, huic scientiae admodum dediti, parvam ephemeridem **Folia diplomatica** appellatam condiderunt, cuius numeros ipsi multiplicabant et in qua sua prima in re diplomatica, in palaeographia, in universa denique scientia mediaevali tentamina publici iuris faciebant. Quae ephemeris, postquam instrumenti didactici naturam paulatim acceperat, per multos annos magistros cum pristinis et praesentibus auditoribus coniungere perseverabat. Cum autem anno 1968 facultatis philosophicae decanatus consensisset, ut de disciplina diplomatica vel de historia medii aevi diplomatice tractata quinto quoque anno collectanea thematica prodirent, unanimiter decretum est pristinam Foliorum editionem ad nova collectanea transferre, quae traditionaliter **Folia diplomatica** nominarentur. Sed eodem tempore de altera quoque re consensum est: ut primus fasciculus novorum Foliorum viro docissimo, in cuius officina **Folia diplomatica** orta sunt et florebant et qui eorum, ut ita dicamus, pater spiritualis est, professori universitatis Purkynianae **Henrico Šebánek** per occasionem septuagesimi diei natalis dedicaretur.

Professoris Henrici Šebánek opera scientifica cum urbe Bruna artissime cohaeret. Magna diplomatum et epistolarum copia, quae in terrae Moraviae (nunc Rei Publicae) archivo asservantur, ubi studiis absolutis archivistae munere fungi cooperat, laborum eius cursum destinavit. Disciplinam diplomaticam mediaevalem ita amplexus est, ut eam apud nos ad summum perfectionis culmen extulerit et praesenti statui rei diplomaticae orbis terrarum adaequaverit. Cathedra scientiarum historicarum auxiliarium, quam a. 1937 adeptus est, facultatem ei fecit, ut suas eximias virtutes scientificas plane exerceret. Annis vertentibus ei contigit, ut continuationem „Codicis diplomatici et epistolaris regni Bohemiae“, quae est inter editiones ad medium aevum Bohemicum pertinentes principalis, in officinam Brunensem transferret. Quam ad editionem conficiendam singularem apparatus scientificum contulit, qui ei potestatem methodi in diplomaticis saeculi XIII. tractandis perfectissime elaborandae praebuit. Ubi multos aspectus ad functionem socialem diplomatum mediaevalium cognoscendam vim ha-

bentes commemoravit. Cooperationem internationalem ad plurimas quae-
stiones diplomaticas solvendas cum necessariam esse intellexisset, in con-
gressibus historicis et multis colloquiis domesticis et extraneis hanc coope-
rationem commendare nunquam desinebat. Itaque viris doctis complurium
Europae nationum rei diplomaticae studentibus persuavit, ut Commissio
rebus diplomaticis tractandis apud CISH constitueretur, quae his diebus
existere incipit.

Professor Šebánek permultos discipulos educavit, qui partim ipsi rei di-
plomaticae operam dant, partim ad historiam mediaevalem transierunt. Suo
gravi et ardentri scientiae amore nec non morum integritate et sociali habitu
plurimos in omnibus terris amicos sibi conciliavit. Quorum non nisi pauci
hoc libro professori Šebánek honorem et amicitiam praestare potuerunt,
verumtamen pro omnibus illis discipulis et amicis scientificis ei gratulan-
tur et salutem dicunt.

S.D.

Brunae mense Octobri a. 1970.